

CONCIO VI.

nomine vivus incendereris. » Denique, *huc spectant* quotquot extra catholicam Ecclesiam constituti, bonis operibus vacant. Similes enim sunt nauclero ignorantia quo naviget, tametsi is alioqui peritus sit navigandi: vel viatori fortiter ambulanti, qui a recto itinere abductus, nescit quo vadat, nec ad destinatum terminum venit.

III. Veneficæ, quæ se dæmonis servitio mancipant et pro dæmercede servitutis ab eodem dirissime tractantur, decipiuntur, subsannantur, cæduntur, abominandis rebus cibantur, coguntur nocere suismet bonis, agnis, pecudibus, liberis, consanguineis, maritis, etc. Quibus a Jeremia dici videtur, *Jer. LVI. Servietis diis alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Hic cædunt eas flagellis et ibi scorpionibus: hic exurunt igne temporali, ibi, nisi resipiscant, igne æterno. An forsitan hoc non est martyrium diaboli?

IV. Hypocritæ, qui ut hominum applausum captent, aspera quæque tolerant et subeunt, nec inde tamen aliud nisi gehennam sibi acquirunt: similes Eleazar illi, *I. Macch. VI.* qui in hostium agmen irruens ivit sub pedes elephantis (in quo regem esse putabat) et supposuit se ei et occidit eum: et occidit in terram super ipsum et mortuus est ille, ut habetur ibi. « Quos, ait S. Gregorius, *I. XIX. moral. c. XIII.* Eleazarus iste significat, quem Victoria sua oppressit, nisi eos, qui vitæ supererant, sed sub istis, quæ subiecti, superbiendo succumbunt? Hujusmodi fuit Joannes patriarcha Constantinopolitanus, dictus Jejunator, qui jejunii et eleemosynis, vitæque austeritate magnum sibi nomen comparavit, ita ut a quibusdam sanctus haberetur, interim tam superbia tumidissimus fuit, et nomen cœmenici, seu universalis patriarchæ sibi arrogavit; ut videre est in Baron. anno 596. Quid illi profuit dure cubuisse ligneo in lecto, crebro jejunasse, sua erogasse, qui his suismet operibus ad plausum hominum factis misere tandem est oppressus, et a Deo condemnatus?

V. Adulatores illi, qui ut magnatibus placeant, omnia amara devorant, ut assentatores Dionysii tyranni, qui sputante rege faciem sputo conspergendarū objiciebant, salivam et quæ vomitu egesserat, delingentes, eaque melle dulciora esse affirmantes, *Athenæus, lib. VI.* Talis erat anno Domini 766. pseudopatriarcha Constantinopolitanus nomine Constantinus, qui ab imperatore Constantino Copronymo exauctoratus, et in insulam relegatus, quod imperatoris secretum (quo significaret se neque Christum pro Deo, neque matrem ejus pro Deipara habere) nuntiasset, retractus Constantinopolim, audatus, rasus, asino aversus impositus, consputus, pulvere aspersus,

calcatus, omnique ludibrii genere affectus, demum obtruncatus et pedibus suspensus est. Qui cum interrogaretur, quid de imperatoris fide sentiret, infelix eam adulatorie probavit, quam improbando et catholicam fidem confitendo, omnia illa tormenta sibi in gloriam sempiternam convertere potuisset, Baron. ibi.

VI. Qui ut mundo serviant eique se accommodent, seipso affligunt, onerant, consumunt, veluti candela, quæ ut alii luceat, seipsum vorat. Tales sunt qui toti sunt addicti suis dominis et negotiis corum, negotium interim salutis suæ negligunt. Item qui, ad honorem et placitum magnatum immoderatos haustus faciunt, vino sese obruant, vitamque sibi demetunt. Item nobilis puella, quæ ut teneræ, gracieles et pallidæ appareant, nescio quæ absurdæ et noxia vorant, tolerantque molesta quædam, quæ inclusæ in monasterio nequaquam tolerarent. Itaque se et carnem suam in gratiam diaboli macerant. Et quemadmodum gesticulatores ac circulatores ad captandum risum et hominum admirationem tota die nugas agitant, in grallis ambulant, saltus edunt, funes inambulant, etc. vespere autem lassi et viribus exhausti, modico lucro parto, recumbunt; ita qui ad hominum auram et favorem acquirendum totos se impendunt, præter modicam pecuniolam nihil aliud lucrantur, nisi destitutam viribus et virtutibus animam. Vere martyres diaboli; quales illi, qui Sap. V. dicunt: *Lassati sumus in via iniquitatis, ambulavimus vias difficiles.*

VII. Invidi, quibus sua invidia, perpetua est carnificina. Quot enim invidiosus percipit beneficia, quot habet laudatores, tot habet invidus tormenta: « Sicut rubigo est venenum ferri, sic invidia cordis humani; et sicut viperas dicunt abrupto ventre matris nasci, sic invidia concipientem se animam corredit et tabefacit, » ait S. Basil. hom. de invidia.

VIII. Qui invitit et coacti faciunt aut tolerant ea, quæ debent facere aut tolerare. Habent enim pœnam suam, dum ea faciunt aut sustinent, et pro mercede sua rursum accipient aliam a dæmone majorem. Talis fuit Cramerus archiepiscopus Cantuariensis, qui Henrici VIII. regis flagitiis favit et subscriptis, eaque conditione episcopus ab eo factus est: is ob hæresin aliaque flagitia rogo adjudicatus, cœlum et terram detestari cepit, et in hæresin, quam abjuraverat, relapsus est ex animi impatientia et desperatione: in ipso vero rogo horribiles ululatus edidit, ac contra Deum et sanctos mille blasphemias evomuit, Florim. Raimund. de orig. hær. lib. VI. cap. VIII. Similes isti sunt latroni illi impénitenti, qui in

IN FESTO S. GEORGII.

cruce pendens, impatiens et blasphemus in Christum extitit, ideoque de cruce lignea translatus est ad crucem igneam et perpetuam.

IX. Qui sauciæ conscientiæ morsibus cruciantur, nec illi tamen interim medentur. Vere enim S. Augus. ait: *Jussisti Domine et sic est, ut pena sibi sit omnis inordinatus animus.* Tales enim sunt instæ furis incarcerati, qui quoties audit custodem carceris circa fores strepere cum clavibus, toties expavescit metuens se ad furcam abducendum.

X. Qui vitam sibimet eripiunt. Hi enim dæmoni litant seipso in hoc holocaustum ignis æterni; qua insania quæ major excogitari potest.

Nos vero rogamus Deum, ut nos ab hisce abominandis martyris paterne præservare, et stultissimos istos martyres ad suam mentem revocare dignetur.

CONCIO VII.

DOCUMENTA.

I. Christiani palmites. — II. In Christo manendum. — III. Bonum inbærere Christo. — IV. Malum a Christo separari. — V. Laborandum, ut in Christo maneamus.

THEMA.

Ego sum vitis, vos palmites. Joan. XV.

Accidit non raro ut quis ab amicis optimis discessurus, post convivium cum illis habitum surget, et antequam eis valedicat, unum adhuc poculum arripiat, iisque in signum amoris propinet. Aliquid hujusmodi fecisse mihi videtur Dominus in ultima sua cena habita cum discipulis sibi charissimis. Cum enim ea durante præclarum eius apposuerit vinum pulcherrimæ et amantisimæ concionis; postmodum a cena surrexit, dicens: *Surgite eamus hinc, uti legimus Joan. XIV.* Et tamen post hæc mox inchoat stans novum et prolixum sermonem qui initium sumit ab hodierno evangelio, in quo velut ultimo amoris poculo efficacissimis rationibus commendat eis unionem, et a. t. tiam, ut in ipso constanter permaneant. Ex hoc salutari philtro nos quoque, auditores, aliquid delibabimus.

I. Docet Christus Christianos omnes esse palmites viniferos adeoque vites partiales: *Ego sum vitis, vos palmites.* Quare sicut vitis primo, amoretatem vineæ vel ornamentum ædibus, quibus adhæret, et emolumentum præstat succumque acceptissimum, vinum scilicet quod lætitiat Deum et homines, ut dicebat Jonathan, *Jud. IX.*

sic fidelis quisque Christum et Ecclesiam ejus ornare sua externa conversatione debet: *Provvidens bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*, ut ait apostolus, ad Rom. XII. Ut externi qui eos vident, inde ædificantur et dicant: *Isti sunt semen cui benedixit Dominus*, quod futurum prædictis Isaías, capit. XVI. debet deinde, fructus ferre copiosos⁸ bonorum operum; nec qualicumque, sed supernaturalium impræmis, quibus lætitiat Deum et homines, adeoque mereatur vitam æternam. Non sit contentus politicis tantum exercitiis: hec enim et gentiles obeunt cum laude. Plerique hominum male nunc contenti sunt cum vitibus, quod anno 1628 præterito uvas immaturas, adeoque vinum per quam acidum protulerint. Quid si hoc per aliquot annos facerent? Quid si vinum præterea noxiū et pestilens progignerent? Et mirabimur si nobiscum Deus male contentus sit? Quia ab ipso summo studio plantati et exulti beneficiis, expectati ut faceremus uvas, facimus labruscas; nec uno tantum anno, sed multis sæpe continuis, nec inutile tantum vinum sed pestilens etiam gravissimorum scelerum proferimus. Inventus fuit anno 1580. Nechershovii homo perditus, qui vinum acidum Deo præbibens, dixit: *Tibi Deus: si melius fecisses hoc anno vinum, melius biberes.* Mox tamen blasphemæ pœnas luit, cum ita obriguit- et immobili factus est, ut dimoveri loco non posset. Ut refert Gabriel Præteolus, in chron. anno 1580. Impie sane iste, quia servus Domino, creatura creatori nequaquam insultare debuit. Sed pie ac juste Deus dicere nobis servis et creaturis suis potest cum propinat nobis calicem indignationis suæ, famem, pestem, bellum aliasque plagas, ipsum etiam carnificem ad plectendos maleficos et veneficos, vobis hunc haustum: *Si melius protulissetis, melius biberetis vinum.* Labruscas attulitis scelerum, bibite ergo nunc acetum calamitatum.

Secundo, sicut lignum vitis foris vile et contemptum est, intus vero, pretiosum gerit succum: ita Christianus quisque decorum non in corpore, sed in anima gestare: nec gloriam suam in ore hominum ponere, sed intra conscientiam contegere debet. Vita etiam ejus foris aspera et austera sit, ac coram mundi amatoribus vilis et contempta: sed intus tamen gratiae succo prædicta, quo alios inebritet et ad Dei amorem inflammet.

Tertio, sicut palmites vitis putantur seu purgantur, ut in hodierno evangelio dicitur, quo copiosiore fructum afferant: ita et fideles cultro mortificationis et tribulationis indigent, eumque proinde libenter admittere debent; alioquin enim facile in vicia luxuriabunt, uti palmites in fron-

des, nisi patentur. Quare si tibi Deus abscidit parentes aut liberos, si sanitatem, si divitias, ne mireris: cogita te palmitem esse, proinde purgandum fuisse ut fructum plus afferes.

II. Docet Christus quam necessarius sit in ipso manere, per fidem scilicet et charitatem. Quemadmodum enim maxime necessarium est palmitibus viti adhærere: sic maxime necessarium est Christianis adhærere Christo; omne enim palmitis bonum ex vite pendet. Nisi vitis succum suum jugiter influat palmites, nec vivere poterunt, nec fructum ullum producere; et nisi Christus gratiam habitualem continuo infundat in animis iustificatam, veluti sol lumen suum in nocte, nec vivere in Deo, nec merito vita aeterna poterit producere. Hoc est, quod ait Christus in hodierno evangelio: *Sicut palmes non potest proferre fructus a semetipsa, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi manseritis in me: item: Sine me nihil potestis facere;* quod videlicet pertineat ad vitam aeternam. Unum hominem assumpsit Deus in filium naturalem, Christum, qui necessario ipsi placet: de quo et dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui,* Matth. III. Per hunc adoptat et filios suos adoptivos efficit omnes eos, qui illi homini per fidem et sacramenta tamquam ramitrunco, et palmites viti inseruntur. Quamprimum quis inseritur, et adhaerescit Christo, illico animatur et vivit a spiritu et divinitate ejus, quamprimum quis ab eo separatur, moritur spiritualiter. Ita docet Concil. Trident. sess. VI. capit. XVI. cum ait: « Christus Jesus tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites, in ipsis iustificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitantur et subsequitur: et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent. » Christus ergo fons est totius vite supernaturalis: sicut anima corpori unitas fons est totius vite naturalis: per hanc omnia membra vivunt, per illum omnes justi. Et sicut in æstate soi nobis vicinus calore suo terram vivificat, et fecundat; in hieme contra longe positus omnia obrigescere et emori facit: ita Christus gratia sua nobis inhabitans, vitam dat et merita vitæ aeternæ; absens vero tollit. Absque solis luce, tenebris terra completetur: absque Christi gratia jugiter influente, caligine obscuratur anima. Hinc Dominus, Joan. XVII. *Ego charitatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus.*

III. Docet, quam bonum sit in ipso, et in vera et viva vite manere ipsisque inhærente. Nam primo: *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum,* inquit. Fructus autem est primo,

vitare peccata: secundo, vacare operibus sancti tatis: tertio, ædificare etiam alios: denique, sperare præmium supernaturale, non qualemcumque, sed quale debetur filii, visio Dei et hereditas regni ejus. Illuc enim unum eum vite palmites inferentur: quomodo latro poenitens et Christo adhærens, una cum ipso intravit paradisum, attestando Domino: *Amen dico tibi: Hodie tecum eris in paradiſo,* Luc. II.

Secundo, per ipsum omnia poterunt, qui in ipso manent. Ut enim sine ipso nihil possunt, ita eum ipso omnia possunt. Israelite fuderunt hostes suos, quamdiu adhaerent Deo suo: ubi vero recesserunt ab eo, corruerunt eoram illis: ita cum Domino potentes erimus, sine ipso invalidi. Comitetur nos Dei gratia, sicut columna ignis Hebreos: et nullum timemus Pharaonem. Non sine causa pastor bonus dicitur a Domino sustulisse ovem in humeros suos; voluit enim insinuare, nihil timendum ovi culæ, quæ insidet humeris Christi: *Omnia possum in eo, qui me confortat,* in apostol. ad Ephes. IV.

Tertio, nihil non impetrabunt: *Si manseritis in me, inquit, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis et fiat vobis.* Qui enim dicta ratione in Christo manent, constituuntur filii Dei adoptivi, adeoque in longe excellentiori statu, quam sint ipsi angeli. Jam ergo sicut Pater filium charissimum aliud potentem, quod sit ipsi proficuum, utique exaudiet; ita Deus justus. Eo pertinent verba illa Christi: *Si vos cum sitis mali, nos tis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, caelis de caelo dabit spiritum bonum petentibus se?* Luc. XI.

IV. Docet, quam sit malum ab ipso separari; ait enim Dominus: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arcesset, et colligeret eum, et in ignem mittent, et ardet.* Separantur autem aliqui a Christo secundum charitatem, qui labuntur, in peccatum mortiferum; et hi si resurgere differant, vel contemnant, vel si sepius relabuntur, merito timere possunt, ne mittantur foras et arcessant, etc. uti alias ostendimus; sunt tamen isti non omnino a Christo resecati, sed inherenter ipsi saltem per fidem veluti palmites infecundus, habens tantum viorem fidei et folia verborum. In mortem vero, nisi resipiscant, omnino separabuntur, atque veluti aridi et inutiles rami in ignem abhiciantur. Separantur alii secundum fidem, qui labuntur in haeresin; et hi omnem etiam viorem perdunt ac prorsus resecantur. Tales mittuntur primo, foras, qui communiter a Deo deseruntur, et sibi ipsis relinquuntur: secundo, arescunt in semetipsis, dum destituantur humore et ope sacramentorum, verbi Dei, pre-

cum Ecclesiæ, honorum exemplorum, etc. unde perdunt omnem devotionem, omnemque Deitatem: tertio, colliguntur a dæmonibus, dum eorum fraude et impulsu plurimis involvuntur sceleribus, ut jam nullum ad Ecclesiæ repetendam ostium invenire queant. Separantur alii secundum communionem sanctorum per censuram; qui videlicet ob contumaciam ab Ecclesia excommunicantur, et velut membra putrida, resecantur, donec resipiscant. Hi etiam primo, mittuntur foras, dum non solum a Dei gratia, et speciali protectione excidunt verum etiam a corpore ejus, quod est Ecclesia separantur: unde S. Chrysostomus, de excommunicato loquens, ait: « Dejiciebatur a communi fidelium cœtu, abscondebatur a gregi, siebat nudus atque ita destitutus luporum, patibulatus et prodebat accursibus: sicut enim dudum nubes Hebreorum castra tegebat, ita et Ecclesiæ protegebat Spiritus sancti gratia.

Secundo, exarescant, dum Ecclesiæ precibus, usu sacramentorum, sacra missæ auditione, ss. indulgentiis et honorum operum, que in Ecclesiæ sunt, communione destituuntur. Experiencia etiam særissime demonstravit, tales spoliari robore et prospero rerum successu, fierique prædam hostibus, vel aliæ misere interire, si pergent in pertinacia. Ita factum Jos. VII. ubi Dominus ad Josue dixit: *Non poterit Israel stare ante hostes suos eosque fugiet, quia pollutus est anathema:* experti sunt hoc plures imperatores anathemate percussi.

Tertio, traduntur dæmonibus et ab eis colliguntur. Destituti enim orationibus, suffragiis, sacramentis. Dei protectione et cura pastorali, patent incursibus et tyrannidi diaboli. Hinc apostolus I. Corinth. V. et I. Timoth. I. tales se tradidisse Satanæ ait, non ut prorsus pereant, sed ut ab eo ad tempus afflicti, confusi item et ab omnibus deserti resipiscant. Tradunt certes antiqui patres, uti Ambrosius et Theodoretus, in cap. I. Timoth. I. tales olim crebro a dæmonibus vexatos, et quasi possessos fuisse. Et hinc forsitan phrasis illa apostolica manavit. Exempla crebra sunt in vitis patrum, et nominatum in vita S. Ambrosii, apud Paulinum. Cum enim Ambrosius quendam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens discerpere coepit: Zozimus ab Arianis in episcopatum Neopolitanum intrusus, cum sententiam anathematis accepisset a Maximo legitimo ejus loci episcopo, sed ab Arianis in exilium pulsus, quoties Ecclesiæ intravit, toties lingua ejus fedum in modum ex ore propendere coepit, ut his anhelus facit, donec cessit episcopatu, Baron. anno 359. denique, Theodoretus loco citato ait:

« Ab ecclesiastico corpore separati et divinagratia nudati, ab adversario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos, et difficiles affectiones et alias calamitates, etc. »

Hinc quicumque Deum timuerunt, excommunicationem quoque vehementer pertimescebat, uti Theodosius senior, qui ab Ambrosio excommunicatus, non prius lacrymis abstinuit, quam ab eodem absolveretur, ut narrat Theodoretus, lib. V. histor. capit. XVII. Idem capit. XXXVI. refert, Theodosius junior a quadam audaciore monacho, cuius petitionem imperator rejecisset, excommunicatum expensa domi excommunicationis gravitate, cibum recusasse, donec absolveretur. Ac licet patriarcha respondet, nullam et evanidam fuisse illam censuram, non tamen acquievit imperator; sed monachum tota urbe conquisitum accersivit et rogavit ut absolveretur; sieque conquievit. Sed neque cum excommunicatis communicare ulla ratione volebant ac poterant Christiani, cuius exemplum refert Beda, in histor. Angli. lib. III. cap. XXII. apud Baronium, anno 655. Cum enim Cedd. episcopus excommunicasset comitem quendam ob illicitum conjugium, Osuvi rex ab eo invitatus cum illo est epulatus. Inde digrediens obvius fit episcopo, quo viso tremefactus, ex equo desiliens seque ad ejus pedes prosternens veniam petit. Iratus autem regi episcopus, virga, quam manu tenebat, eum tangens et pontificali auctoritate protestans: *Dico tibi, inquit, quia noluisti te continere a domo perditæ et damnati istius, tu in ipsa domo mori habes.* Idque ei contingit, cum a duabus propinquis necatus est, rex alioqui mitissimus, in expiationem illius peccati et nimis indulgentiae. Denique, S. Gregor. papa in epist. ad Theodosium imperatoris sororem, lib. IX. epist. c. XXXVI. contemptores excommunicationis negat esse Christianos. Studeat ergo, quisquis est excommunicatus, ad ecclesiæ reverti cum Agar illa, et humiliari sub manu dominæ suæ, et cum columba ex arca dimissa, quæ cum non invenisset, ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad arcam, Genes. VIII.

V. Docet, quantum nobis laborandum sit, ut in ipso maneamus. Si enim tam necessarium est, et utile nobis ipsi inhærente, si tam periculosum et tremendum, ab ipso separari: cogitate auditores, annon sedulo ei obsequi per omnia, et incessanter orare debeamus, ne exscindat nos et projiciat a se? Ad hæc ipsem quodammodo nos rogat in hodierno evangelio. Ait enim: *Manete in me, et ego in vobis:* maneam videlicet, ut plerique exponunt; perinde ac si cui pauperculo dicaret rex Hispaniæ: *Queso esto meus amicus,* et

patere me esse amicum tuum. Nobistantum utile est, tam quod Christus in nobis, quam quod nos in Christo maneamus. Christo nihil accedit, nisi gloria tantum extrinseca, et gaudium accidentale. Jam ergo quomodo non insaniunt, qui in Christum, a quo gestantur velut palmites a vite, injurii sunt? Nonne si filius matrem, a qua gestatur, pugnis impeteret, et cæderet in faciem, mereretur abjici in angulum et derelinqui? Nonne sponsa recederet a sposo, quem videret alias mulierculas ad se inducere, et adamare. Pari jure Deus abjicit a se illum, qui non desinit eum offendere, qui in ejus odium introducit amasias alienas, voluptatem, avaritiam, ambitionem, gulam, etc. iisque adhæret. Quare ne hoc contingat nobis vitemus peccata, et oremus quantum fieri potest, sine intermissione, cum regio psalmista David ex Psalm. L. *Ne projicias me a facie tua et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Mane in nobis Domine et nos in te maneamus.*

CONCIO VIII.

MYSTERIA EVANGELII.

I. Cur vitis Christus? — II. Cur vitis vera? — III. Quomodo Deus Pater agricola? — IV. An Christus etiam agricola? — V. Quomodo palmites, id est, Christiani sunt in Christo, veluti in vite? — VI. Quomodo tollatur palmes non referens fructum? — VII. Quomodo palmitem ferentem fructum purget Deus? — VIII. Palmes quomodo cultro persecutionis purgetur?

THEMA.

Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est.
Joan. XV..

Merito hoc evangelium legit Ecclesia in festis sanctorum martyrum: describit enim arctissimam inhæsionem sanctorum in Christo. Tametsi vero omnes electi palmites quidam sunt, Christo iamquam viti implantati et inhærentes, præserunt tamen martyres. In eorum enim persona ait apostolus ad Rom. VIII. *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius?* Sicu scriptum est: *Quia propter te mortificamur ita die, aestimati sumus, sicut oves occisionis.* Itaque licet cultro seu gladio persecutionis ita putati sint, ut ex eorum membris sanguis undique manaret, non tamen amputari a Christo potuerunt, sed fortius ei adhæserunt et majorem fructum tulerunt. Quotusquisque nostrum est, qui si proferretur culter, ad scindendum corpus, nonne

perterreficeret, et nutare inciperet? Sed non ita S. Georgius, non ita martyres reliqui, qui quo magis putabantur, eo præclariorum virtutum suorum emittebant. Quos ut imitari discamus, doctrinam evangelii audiamus.

I. Cur vitem se vocat Christus? Respond. primo, ob multitudinem et dilationem creditum. Ut enim vitis plurimos habet palmites, ita Christus plurimos fideles sibi inhærentes: vitis etiam palmites suos latissime extendit, ita Christus Ecclesiam suam per universum orbem.

Secundo, quia optatissimum et pretiosissimum fructum mundo attulit: *Vinum, quod lætitiat Deum et homines,* Judic. IX. sanguinem scilicet suum, quo a peccatis abluimur, et potamur in sacramentis. Quamquam iste succus magni ipsum constituit, et exprimi torculari crucis debuit, sicut in benedictionem Judæ de Christo prædictus Jacob: *Lava in vino stolam suam, id est, humanitatem suam, et in sanguine uxæ pallium suum, id est, Ecclesiam,* Genes. XLIX. Ex hoc succo (meritorum Christi) omnia ejus membra vivunt et fructum gignunt: quia omnia nostra opera bona, inde meritum vitæ trahunt, inde omnia sacramenta vim et efficaciam. Sed quemadmodum vinum non prodest nec lætitiat nisi potatum, et succus in vite nisi a palmitibus attractus, et quodammodo potatus; sic nec Christi sanguis, nisi nobis applicatus, per sacramenta et bona opera.

II. Cur se vitem veram dicit? Resp. primo, veram, id est, sinceram et genuinam, quæ continuet et tradit suis palmitibus succum veræ fidei et pietatis: non adulterinam aut agrestem, quæ fructum nullum aut certe amarum proferat infidelitatis, apostasiæ, aliorumque scelerum. Ita dicitur de synagoga, Jerem. II. *Plantavi te vineam electam, omne semen verum; quomodo ergo conversa es mihi in pravum vinea aliena?* Quod idem de hæresiarchis dici potest; quia in Ecclesia et religione plantati, vites factæ sunt pravae et adulterinæ, ut Lutherus, Zwinglius, OEcolumpadius, etc. Plantaverat in illis Ecclesia semen verbi Dei verum, sed illi id depravarunt et depravatum aliis tradiderunt.

Secundo, veram, id est, perfectam et eximiam, quæ optimas propagines et optimum gignit fructum, omniaque illa præstat, quæ a bona vite expectantur, sic Joan. I. dicitur *lux vera:* et Nathanael vere *Israelita,* Joan. II. Multi etiam viri sancti vites sunt, et palmites ex se gignunt, ut imprimis ordinum fundatores, gentium aut urbium apostoli. Sed hi fructum et palmites non ex se (uti Christus) sed ex Christo ejusque adjutorio proferunt.

III. Quomodo Deus pater agricola est? Resp. Pater id est, tota SS. Trinitas agricola est. Primo, quia plantavit vitem humanæ Christi naturæ in utero B. M. Virginis: stercoravit, quando eam pinguedine Spiritus sancti et omnibus ejus donis implevit: circumfodit, cum Judæos illi hostes et insidiatores dedit, qui foderent foveam animæ ejus: putavit, cum ei in passione decorem omnem p. adidit, gloriam, potentiam, sapientiam, regiam dignitatem, nominis celebratatem, beatitudinem animæ, qua redundabat in partem ejus inferiorem, etc. palo illigavit seu pastinavit, cum affixit cruci: pampinavit, cum ibidem ostendit per miracula botrum divinitatis ejus: pressit in torculari, cum mortis doloribus oppressit: excoluit, cum post hiem passionis in vere resurrectionis redivivum ostendit.

Secundo, quia etiam circa palmites occupatur et operatur usque modo, plantando, rigando, rurando, alligando per verbum Dei, per sacramenta, per præcepta, per tentationes, denique secundando, et incrementum dando. Unde apostolus I. Cor. II. ait: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis:* ibidem se et alios evangelii ministros, cooperatores Dei vocat, quasi famulos magni illius agricolæ.

IV. Nonne etiam Christus est agricola, cum ipse et Pater unum sint? Et paulo post ipse testatur se agricolam esse, cum ait: *Jam vnde mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis?* Cur ergo Patrem tantum vocat agricolam? Respond. primo, id facere, ut servet decorem proabolæ, et simul accommodet se capiti audientium. Quia in humanis non solet esse idem vitis et agricola, unde auditores difficile intellexissent, quomodo Christus simul esset vitis et agricola. Ubi discunt concionatores intelligentæ auditorum se accommodare.

Secundo, ut doceat nos humilia nostra proloqui, sublimia tacere, et alteri potius gloriam quam nobis tribuere: licet nobis etiam debeat. Nos defectus nostros occultamus, dona quibus excellimus ostentamus: nos ipsos prædicamus, aliorum gloriam tacemus. Sed non ita Christus, qui sibi humilitatem vitis, quæ cultura aliena indiget, Patri cultoris dignitatem tribuit, licet hanc et ipse habuerit.

V. Quomodo palmites, id est, Christiani sunt in Christo velut in vite? Respondetur per fidem et charitatem. Aliqui enim per solam fidem ei adhærent, quia nimis veram fidem habent (nam qui veram non habent, prorsus non adhærent vinculo scilicet supernaturali, seu fide divina, sed humana tantum: quomodo scopæ adhærent baculo), sed in statu peccati sunt, et chari-

tate parent. Et hi similes sunt surculis, qui in optimo truncu insiti virent quidem, sed fructum nullum aut certe malum ei agrestem afferunt quibus proinde velut infrugiferæ illi sicut imminet excidium et gehenna. Habent isti folia, id est, fidei confessionem, sed non habent fructum: cuiusmodi erat illa Os. XX. *Vitis frondosa Israel, fructus adequatus est ei.* Ejusmodi sicut maledixit Dominus. Alii per charitatem etiam eidem Christo adhærent, et sunt fideles in gratia constituti, et hi fructum ferunt bonorum operum, unaque cum vite sua cœlo inferentur. Porro in hac implantatione duo mira, et naturali implantationi contraria reperiuntur, ut advertit Aug. in Psalm. LXVII. Primo, surculus agrestis inseritur viti urbanæ seu nobili, id est, Christo, cum e contra in natura truncu silvestri inseratur surculus nobilis, ut oliva oleastro: ut scribit apostolus ad Rom. XI. *Tu ex naturali excisus es oleastro, inquit, et contra naturam insertus es in bonam olivam.*

Secundo, surculus agrestis Christo insertus, non fert fructum agrestem, sed nobilem: cum in natura surculus insertus non fert fructum tunici, cui est insertus, sed suum. Itaque oleaster oliva insertus naturaliter oleastri non olivæ fructum fert: sed contrarium fit in inscriptione spirituali. Unde Christiani facti christiana opera facere debent, non qualia in gentilismo vel hæresi facere assueti sunt.

VI. Quomodo agricola noster palmitem in Christo non ferentem fructum tollit? Respondetur primo, quando inutiles Christianos, qui sola fide ei adhærent et nullum fructum bonum, sed potius malum ferunt, sinit labi in hæresin. Tunc enim mittitur foras palmes, id est, extra Ecclesiam, tunc arescit, et omni gratiæ humore destituitur, tunc colligitur a dæmonibus, sicut inutilis caro projecta extra macellum colligitur a canibus foris expectantibus, tandemque in ignem mittitur. Non dico cum hæreticis, peccantes illico perdere fidem: sed facilitatem ac consuetudinem peccandi graviter esse gradum ad hæresin et excisionem a corpore Christi. Non enim est difficile persuadere luxuriosis, castitatem esse impossibilem: rebellibus obedientiam et vota non servanda: gulosis jejunia non prodesse: delicatis frustra esse satisfactionis et mortificationis opera. Et hac ex causa hæresiarchæ et eorum sectatores a vite Christi excisi sunt.

Secundo, cum aliquem deserit, et nullam ei culturam adhibet, uti minatur vineæ sterili synagogæ, Isa. V. *Auferum sepem ejus, et erit in direptionem, non pulabitur et non fodietur,*